

lex | dignitatis inciperet², praeceptor fraudis ignarus et intra breve tem-
pus universae patriciae soboli lectus, magister eloquentiae ita inimi-
tabilis saeculo suo, ut tantum veterib. possit aequari.

Romae, sarcophagus (VI 9858 delineavit de Rossi bull. crist. 4, 1865 p. 45).
— 1) *Exstat epistula Hieronymi 'ad Magnum oratorem urbis Romae' (Hieron. ep. 70), hunc ipsum sine dubio. Magnum christianam fidem professum esse ex Hieronymo apparet. — 2) Videtur agi de dignitate quadam, a senatu in hunc rhetorem primum collata. Rossius accepit de comitiva primi ordinis, a Theodosio iuniore a. 423 professoribus in urbe Constantinopolitana docentibus tributa (cod. Theod. 6, 21).*

2952 Ennodius vatis¹ lucis rediturus in ortu
hoc posuit tumulo corporis exubias.
Clarus prole quidem, generosior ipse propinquis,
quos functus² laudum iussit habere diem.
Reddit hos caelo vivacibus ille figuris,
cum fecit famae vivere conloquiis.
Quid mirum si morte caret post busta superstis,
qui consanguineos restituit superis?
quantos³ iste foret, m^uli caelebrator⁴ in hortu⁵,
nec silet occidui cardinis oceanus.
Scismata⁶ coniunxit dudum discordia legi
adque fidem Petri reddedit aeclesiis.
Pollens aeloquio, ductrinae (sic) nobilis arte,
restituit Cristo innumeros populos.
Largus vel sapiens dispensaturq. (sic) benignus,
divitias credens quas dedit esse suas,
templa deo faciens ymnis decoravit et auro⁷,
et paries functi logmata nunc loquitur.

Depositus sub d. XVI kal. Augustas. | Valerio v. c. consul.⁸

Ticini (V 6464 vidit Mommsen). — 1) *Episcopus (nam id pulo significatur vatis vocabulo) Ticinensis factus est Ennodius circa annum 514 (cf. Vogel praef. ad Ennodium p. XXIV); antea fuerat diaconus ecclesiae Mediolanensis. — 2) Scr. functos, 3) quantus, 4) celebratur. — 5) Significantur legationes susceptae ab Ennodio iussu Hormisdæ papae Constantinopolim ad Anastasium imperatorem (Vogel l. c. p. XXV seq.). — 6) Agitur de schismate exorso anno 498, cum simul Symmachus et Laurentius Romae episcopi creati essent (cf. Vogel l. c. p. IX seq.); ex scriptis Ennodii huc pertinet libellus pro synodo (p. 48 ed. Vogel). — 7) Significatur carmina Ennodii in parietibus ecclesiarum inscripta esse litteris aureis (nimirum in opere tessellato). Habemus carmina ab Ennodio in honorem episcoporum Mediolanensium inde ab Ambrosio facta (carm. 2, 77—89, p. 462 seq. ed. Vogel, p. 581 ed. Hartel), quae medio aevo prostitisse Mediolani inde apparet quod recepta sunt in syllogem quandam inscriptionum Mediolanensium medio aevo factam. (Cf. Mommsen C. V p. 618, de Rossi inscr. chr. urb. Romae II 4 p. XXXIX et p. 476).*
— 8) *A. 521.*